

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

Arati Versvs A M Tvllio Cicerone Conversi

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



ARATI · VERSVS

A. M. TVLLIO. CICERONE

CONVERSI

Et, ubi aliquot in locis, iniuria temporis amissi Ciceronis uersus desiderantur, eos addidimus, quos, a Virgilio, Germanico Caesare, Rufo Auieno conuersos, colligere potuimus: qui, eorum nominibus e regione notatis, internoscuntur.



VIRG. 3. ecl. **B** Ioue principium, Musae, Iouis omnia plena.

VIRG. 1 Geor. **A**tque, haec ut certis possimus discere signis, Aestusque, pluuiaque, & agentes frigora uentos Ipse pater statuit.

GER. **N**unc uacat audaces in caelum tollere uultus Sideraque, & uarios astrorum noscere motus:

Haec ego dum laetis cogor praedicere musis, Pax tua, tuq. adsis nato, numenq. secundes.

CIC. Cetera labuntur celeri caelestia motu, Cum caeloq. simul noctesque, diesq. feruntur.

GER. **A**xis stat, motus semper uestigia seruat, Librataq. tenet terras, & cardine firmo Orbem agit extremum.

CIC. **E**xremusq. adeo duplici de cardine uert ex Dicitur esse polus.

VIRG. **H**ic uertex nobis semper sublimis, at illum I. Geor. **S**ub pedibus Styx atra uidet, manesq. profundi.

CIC. **H**unc circum *επιτοί* duae uertuntur.

GER. **T**res temone, rotisq. micant, sublimi quaternae, Si melius dixisse feras, obuersa resurgent Ora feris, caput alterius super horrida terga Alterius lucet. pronas capit orbis in ipsos Declinans humeros.

Croesia uos tellus aluit, moderator Olympi Donauit caelo. meritum custodia fecit, Quod fidei comites prima incunabula magni

Fuderunt Iouis attonitae, cum furta parentis Aerea pulsantes mendaci cymbala dextra Vagitus pueri patrias ne tangeret auras Dictaci exercerent dominae famuli Corybantes Ex his altera apud Graecos Cynosura uocatur Altera.

Quas nostri septem soliti uocitare triones. Dat Graus Helice cursus maioribus astris.

Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto. Sed prior illa magis stellis distincta resulget, Et late prima confestim a nocte uidetur.

Haec uero parua est, sed nautis usus in hac est: Nam cursu interiore breui conuertitur orbe. Sidoniamq. ratem numquam spectata se fellit. Has inter ueluti rapido cum gurgite flumen Toruus draco repit, subter supraq. renoluens Sese, conficiensq. sinus e corpore flexos.

Huic non uno modo caput ornans stella relucet, Verum tempora sunt duplici fulgore notata, E trubicusq. oculis duo feruida lumina flagrant, Atque uno mentum radianti sidere lucet, Ostipumq. caput tereti cernice reflexum Obtutum in cauda maioris figere dicas.

Hoc caput hic paullum sese, subitroq. recondit. Ortus ubi atque obitus partem miscentur in unam. Attingens defessa uelut maerentis imago Vertitur. *εργασίαν* dicunt, genibus quod nixa feratur.

Dextro



GER. Dextro namque genu nixus, diuersaq. tendens
Brachia, suppliciter passis ad numina palmis
Serpentis capiti figit uestigia saeua.

CIC. Hic illa eximio posita est fulgore Corona.

GER. Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.

✱

CIC. At que hoc a tergo propter caput Anguinentis,
Quem claro perbibent ^{o quod xor} nomine Graij,

✱

GER. Illis languet honos humeris, manet integer ar dor
Luna etiam mensum cum pleno diuidit orbe.

✱

CIC. Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
Atque eo ipse manet religatis corpore toto.
Namque uirum medium Serpens sub pectore cingit:
Ille tamen nitens grauius uestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectusq. Nepai.

GER. Est impar manibus pondus, nam dextra paruam
Partem Anguis tenet, a laeuq. attollitur omnis.
Quantumq. a laeua distantia certa notantur,
Erigitur tantum Serpens, atque ultima mento
Stella sub aethera lucet crinita Corona.
Ad quam sed dorso peruadit lubricus Anguis.
Insignes caelum perfundunt lumine Chelae.

CIC. Arctophylax uulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi remone adiunctam prae se quatit arctū.
Hinc autem subter praecordia fixa nidetur
Stella micans radijs Arcturus nomine claro.
Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo

GER. Quam te diua uocant, tangunt mortalia si te
Carmina, nec surdam praebes uenantibus aurem.
Exosa haud mortale genus, medio mihi cursu
Stabant quadrupes, & flexis laetus habenis
Teq. tuumq. canam terris uenerabile numen.
Aurea pacati regeret cum saecula mundi
Iustitia, inuoluta malis, placidissima uirgo,
Sive illi astra genus fuerit, quem fama parentem
Tradidit astrorum, se uero intercipit aeuo.
Ortus fama tui medijs te laeta ferebat
Sublimis populis, nec dedignata subire
Tecta hominum, & puros mores sine crimine diua
Iura dabas, cultuq. nouo rude uulgus in omnem
Formabas uitae sinceris artibus usum.
Nondum uae fano rabies nudauerat enses,
Nec cum sanguineis fuerat discordia nata,
Ignotiq. maris cursus: priuataq. tellus
Grata satis: neque per dubios audivissima uentos
Spes procul amotas fabricata naue petebant.
Dimittas, fructusq. dabat placata colono
Sponte sua tellus, nec parui terminus agri
Praestabat domini signo tutissima rura.
At, postquam argenti creuit deformior aetas,
Rarius inuisit maculatas fraudibus urbes.
Seraq. ab excelsis descendens montibus, ore
Velato, tristisq. genas abscondita ripa,
Nulliusq. larem, nullos adit illa penates.
Tantum cum trepidum uulgus, coetusq. notauit,
Incipit, O patrum soboles oblita priorum,
Degenere sq. habuit semperq. habitura minores:
Quid me nunc habitus semper & mala nota uocatis?
Quaerenda est sedes nobis, noua saecula uestra
Artibus indomitis tradam, sceleriq. cruento,

Haec effata, super montes abite alite cursu,
Attonitos linquens populos, grauiora pauentes.
Aerea sed postquam proles terris data, nec iam
Semina uirtutis inuitijs demersa resistunt:

Quisque priora tenet uestigia, quisque secunda.
Ferriq. inuento mens est laetata metallo,
Polluit & taurus menses assuetus aratro:
Deseruit prope terras iustissima uirgo,
Et caeli sortita locum, qua proximus illi
Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes.
Virginis at placidae praestanti lumine signat
Stella humeros, Helicen nec clarior ambit
Quaeq. micat, claudaq. armum praefulget ad ipsum,
Quaeq. priora tenet uestigia, quaeq. secunda
Clunibus hirsutis, & quae sua sidera reddat,
Namque aliae, quibus expletum ceruixque, caputq.
Vatibus ignotae priscis sine honore feruntur

✱

Et natos Geminos inuisit sub caput Arcti
Subiectus medio est Cancer, pedibusq. tenetur
Magnus Leo, tremula quatiens e corpore flammam.
Huic ubi contigerit Thoebi uiolentior axis
Accensa in Cancro, iam tunc geminabitur aestas,
Tunc lymphae tenues, tunc est tristissima tellus,
Et densas laetus segetes bene condit arator.
Ne mihi tunc tennis pulset uaga caerulea puppis.
Dem potius uentis excluso uela rudente,
Excipiamq. sinu Zephyris spirantibus auras.

✱

Sub laeua Geminorum obductus parte feretur
Aduersum caput, huic Helice truculenta tuetur.
At Capra laeuum humerum clara obtrinet.
Nomina praeterca secum trahit una putata
Nutrix esse Iouis.
Verum haec est magno, atque illustri praedita signo.
Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem.
Cuius sub pedibus,
Corniger est ualido comixus corpore Taurus.
Et caput, & scapulas, nares & cornua Tauri
Fronte micant Hyades, quae cornua summa sinistri
Summa tenent, sub haec uestigia dextra
Aurigae, mediaq. ligant compagine diuus
Myrtilus exoritur, summo cum piscibus ore
Totus cum Tauro lucet, ruit oceano Bos,
Ante super terras cum sulget Myrtilus ore.
Has Graeci stellas Hyadas uocitare fuerunt.

✱

Iasides etiam caelum cum coninge Cepheus
Adscendit totaq. domo, quia Iuppiter auctor
Est generis, prodest maiestas saepe parentis.
Ipse breuem patulis manibus stat post Cynosuram.
Namq. ipsum ad tergum Cynosurae uertitur Arcti.
Diducto passim quantum latus a pede dextro,
Cepheus extremam tangit Cynosurida caudam,
Tantumdem a laeua distat minor, utraque iungit
Regula, Cepheus uestigia baltheus ambit.

✱

(Hunc antecedit) obscura specie stellarum Cassiopeias
Clara, etiam pernix, caelo cum Luna refulget,
Sed breuis, & paucis decorata in sidere flammis,
Qualis ferratos subicit clauicula dentes,
Succutit, & foribus praeducit nuncia claustris:

Talis

Talis dispositis stellis, ipsa horrida uultu
Sic tendit palmas, ceu sit plantura relictam
Andromedam merita non iusta piacula matris.
CIC. Hanc autem illustri uersatur corpore propter
Andromede, fugiens ad speculum maesta parentis.
GER. Nec procul Andromede totam quam cernere nondum
Obscura sub nocte licet, sic emicat ore,
Sic magnis humeris candens nitet, ac media ambit
Ignea substricta fulget qua zonula palla.
Sed poenae facies remanet, distractaq. pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi.

✱

CIC. Hinc Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo, stellaq. iungens
Una tenet duplices communi lumine formas.
Aeternum ex astris cupiens connectere nodum.

GER. ✱ tres armo, sed latera aequis
Distinguunt spatij, capiti tristissima forma,
Et cervice sine honore obscuro lumine sordet.
Spumanti mandit sed quae ferus ore lupato,
Et capite, & longa ceruice insignior exit
Stella nitens armis, lateriq. simillima magno.
Nec totam ille tamen formam per singula reddit,
Primo praestat Equo, medio raptâ ordine membra
Destituent uisus, radijs hinc surgit imago.
Gorgonis hinc proles in Pierio Helicône
Vertice cum summo nondum decurreret unda
Musaeos fontes dextri pedis ictibus hausit:
Inde liquor genitus nomen tenet Hippocrenen,
Fontes nomen habent. sed Pegafus aethere summo
Veloces agit at pennas, & sidere gaudet.

CIC. Exin contortis Arias cum cornibus haeret
qui longe maxima torret,

Orbis & ad finem spatij non tardior ipse
Peruenit, quam ✱ Lycaonis Arctos
Claraq. non illi est facies, nec sidera possunt
Officiat si Luna, sua uirtute nitere
Sed quaerendus erit Zona ratione micantis.

CIC. hanc subter possis cognoscere fultum.
Iam caeli mediam partem terit, ut prius altae
Chelae, tum peffus quod cernitur Orionis.
Et prope conspicias paruum sub peffore claro
Andromedae signum. Deltoton dicere Craij
Quod soliti, simili quia forma littera claret.
Huic spatio ductum simili latus exstat utrumque,
At non tertia pars lateris. nam non minor illis,
Sed stellis longe densis praeclara relucet.
Inferior paullo est Arias, & flamen ad austrum
Inclinatior. atque etiam uehementius illi
Pisces, quorum alter paullo praelabitur ante,
Et magis horrissonis Aquilonis tangitur alis.
Atque horum & caudis duplices uelut esse catenae
Dicantur, sua diuersae per lumina serpunt,
Atque una tandem in stella communiter haerent,
Quam ueteres soliti caelestem dicere nodum.
Andromedae laeua ex humero signum
Ac positum poteris supra cognoscere piscem.
Et pedibus natum summo natum Ioue Perseum,
Quos humero retinet desixo corpore Perseus,
Qua summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiopeiae,
Diuersosq. pedes ninctos talaribus aptis.

Puluerulentus uti, de terra lapsu repente
In caelum uictor magnum sub culmine portat.
At propter laeuum genu omni ex parte locatas
Paruas Vergilias tenui cum luce uidebis.
Hae septem uulgo perhibentur more uetusto
Stellae, cernuntur uero sex undique paruae.
At non interijisse putari conuenit unam.
Sed frustra temere a uulgo ratione sine ulla
Septem dicier ut ueteres statuere poetae,
Aeterno cunctas aeuo qui nomine dignant.
Alcyone, Meropeque, Celeno, Taygeteque,
Electre, Steropeque, simul sanctissima Maia,
Hae tenues paruo labentes lumine lucent,
At magnum nomen signi, clarumq. uocatur,
Propterea quod & aestatis primordia claret,
Et post hiberni praepandens temporis ortus,
Admonet, ut mandent mortales semina terris.
Inde fides leuiter posita, & conuexa uidetur,
Mercurius paruis manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in alta sede locasse.
Quae genu ad laeuum Nisi delapsa resedit,
Atque inter flexum genu, & caput alitis haesit.
Namque est Ales auis, lato sub tegmine caeli
Quae uolat, & serpens geminis secat aera pennis,
Altera pars huic obscura est, & luminis expers:
Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocriter iacit quatiens e corpore lumen.
Haec dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gesit, iam uero clinata est ungula uehemens
Fortis Equi propter pennati corporis alam.
Ipse autem labens multis Equus ille tenetur
Piscibus. hinc cervice dextra mulcetur Aquari.
Tum gelidum ualido de corpore frigus anbelans
Corpore semifero magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo uestiuit lumine Titan,
Brumali fleffens contorquet tempore cursum.
Hoc caue te ponto studeas committere mense:
Nam non longinquum spatium labere diurnum,
Non hiberna cito uoluetur curriculo nox.
Humida non sese uestris aurora querellis
Ocuis ostendet, clari praenuncia solis:
At ualidis aequor pulsabit uiribus auster,
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus,
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina uitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus,
Atque etiam supero nauis, pelagoq. uagato
Mense Sagittipotens solis tum sustinet orbem.
Nam iam cum minus exiguo lux tempore praesto est,
Hoc signum ueniens poterunt praenoscere nautae.
Iam prope praecipiti ante licebit uisere nocti,
Ut sese ostendens emergat Scorpius alte
Posteriore trabens flexum ui corporis arcum.
Iam supra cornes Arcti caput esse minoris,
Et magis erectum ad summum uersarier orbem.
Tum sese Orion toto iam corpore condit
Extrema prope nocte, & Cepheus conditur ante
Lumborum tenuis a palmâ depulsus ad undas
Hic miss ✱ iacet una sagitta
Quam propter nitent penna conuoluitur ales,
Et clinata magis paullo est Aquilonis ad auras,
At propter se Aquila ardenti cum corpore orat,
uiferum

Igniferum mulcens tremebundis aethera pennis,
 Non nimis ingenti cum corpore, sed graue maestis
 Oſtendit nauis perturbans aequora signum.
 Tum magni currens Capricorni corpora propter
 Delphinus iacet, haud nimio luſtratū nitore.
 Praeter quadruplices ſtellas in fronte locatas
 Quas interuallum binas diſterminat unum,
 Cetera pars laete tenui cum lumine ſerpit,
 Illae quae fulgent lucēs ex ore coruſco
 Sunt inter partes gelidas Aquilone locatae,
 Atque inter ſpatium, & laeti ueſtigia ſolis.
 At pars inferior Delphini fuſca uidetur,
 Inter ſolis iter, ſimul inter flamina uenti,
 Viribus erumpit qua ſummi ſpiritus auſtri.
 Exinde Orion obliquo corpore nitens,
 Inferiora tenet truculenti corpore Tauri.
 Quem qui ſuſpiciet in caelum nocte ſerena,
 Late diſperſum non uiderit, abdita uero
 Cetera ſe ſperet cognoscere ſigna poteſſe.
 Namque pedes ſubter rutilo cum lumine claret,
 Feruidus ille Canis ſtellarum luce refulgens.
 Hunc tegit obſcuris ſubter praecordia neſper.
 Ver toto ſpirans rabido de corpore flammam,
 Aetiſeros ualidis erumpit flatibus ignes,
 Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
 Hic ubi ſe pariter cum ſole in lumina caeli
 Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra
 Suſpenſos animos arbuiſta ornata tenere.
 Nam, quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
 Haec augens anima uitali flamina mulcet.
 At, quorum nequeunt radices findere terras,
 Denudat folijs ramos, & cortice truncos.
 Hunc propter, ſubterq. pedes, quos diximus ante,
 Oriona, iacet leuipes Lepus: hic fugit, icſus
 Horrificos metuens roſtri tremebundus acutiſ.
 Nam Canis inſeſto ſequitur ueſtigia curſu.
 Praecipit antem agitant, oriens iam denique paulū,
 Curriculum numquam deſeſo corpore ſedans.
 At Canis ad caudam ſerpens praelabatur Argo,
 Conuerſam prae ſe portans cum lumine puppim.
 Non aliae naues, ut in alto pandere proras
 Ante ſolent, roſtro Neptunia prata ſecantes,
 Sed conuerſa retro caeli ſemper loca portat.
 Sicut cum coeptant tutos conſtringere portus
 Obuertunt nauem magno cum pondere nautae.
 Aduerſamq. trahunt optata ad litora puppim.
 Sic conuerſa uetus ſuper aethera uertitur Argo,
 Atque uſque a prora ad caelum ſine lumine malum,
 A malo ad puppim cum lumine clara uidetur,
 Inde gubernaculum diſperſo lumine fulgens
 Clari poſteriora Canis ueſtigia condit.
 Exin ſemotam procul, in tutoq. locatam
 Andromedā, tamen explorans fera quaerere Piſtrix
 Pergit, & uſque ſitam ualidas Aquilonis ad auras
 Caerulea ueſtigat, finita in partibus auſtri.
 Hanc Ariēs tegit, & ſquammoſi corpore Piſces,
 Fluminis illuſtris tangentem corpore ripas
 Namque etiam Eridanur cernes in parte locatum,
 Caeli funeſtum magnis cum uiribus amnem,
 Quem lacrymis maestrae Phaeontis ſaepe ſorores
 Parſerunt, letum maerenti uoce canentes.
 Hanc uero ſub laena cernere plantā

Serpentem poteris, proceraq. uincla uidebis,
 Quae retinent Piſces caudarum parte locata,
 Flumine mixta retro ad Piſtrici terga reuerſi
 Hinc una ſtella uertuntur, quam iacit ex ſe
 Piſtrici ſpina ualida cum luce refulgens.
 Exinde exiguae tenui cum lumine multae
 Inter Piſtricem fuſae, ſparſaeq. uidentur
 Atque Gubernaculum ſtellae, quas contigit omnes
 Formidans acrem morſum Lepus his neque nomen
 Nec formam ueteres certam ſtatuiſſe uidentur.

Nam, quae ſideribus claris natura poliuit,
 Et uario pinxit diſtinguens lumine formas,
 Haec ille aſtrorum cuſtos ratione notauit,
 Signaq. ſignauit caeleſtia nomine uero.
 Has autem, quae ſunt paruo ſub culmine fuſae,
 Conſimili ſpecie ſtellas, pariliq. nitore,
 Non potuit nobis nota clarere figura.

Voluit inferior Capricorno Piſcis ad Auſtrum,
 Piſtricem obſeruans, procul illis piſcibus haerens:
 At prope conſpicias expertes nominis omnes
 Inter Piſtricem, & Piſcem quem diximus Auſtri,
 ſtellas ſub pedibus ſparſas radiantis Aquari.
 Propter Aquari obſcurum dextra rigat amnem
 Exiguo qui ſtellarum candore nitescit.
 E multis tum bis duo late lunina fulgent.

Vnum ſub magni pedibus cernetur Aquari
 Quod ſuper eſt gelido delapſum lumine fontis,
 Spumiferam ſubter caudam Piſtrici adhaeſit:
 Aſi omnes ſtellae perhibentur nomine aquai.
 Hic aliae uolitant paruo cum lumine clarae,
 Atque priora pedum ſubeunt ueſtigia magni
 Arcitenentis, & obſcurae ſine nomine condunt,
 Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
 Aram quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri,
 Exiguo ſuperum quae lumina tempore tranat.
 Nam procul Arcturo eſt aduerſa parte locata,
 Arcturo magnum ſpatium ſupra dedit, orbem
 Iuppiter hunc paruum inferiori parte locauit:
 Hic tamen aeterno inuiſens loca curriculo nox
 Signa dedit nauis, cuncti quae noſcere poſſent,
 Commiſerans hominum metuendos undique caſus.
 Nam, cum fulgentem cernes ſine nubibus atris
 Aram ſub media caeli regione locatam,
 A ſumma parte obſcura caligine teſtam:

Tum ualidis fugito deuitans niris auſtrum.

Quem ſi proſpiciens uitaueris, omnia caute
 Armamenta locans, tuto labere per auras:
 Sin grauis inciderit uehementi flamine uentus,
 Perfringet celſos deſixo robore malos
 Ut res nulla ſeras poſſit mulcere procellas,
 Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
 Coeperit, & ſubitis auris diduxerit Ara.

Sin humeros medio in caelo Centaurus habebit,
 Ipſeq. caerulea contectus nube feretur,
 Atque Aram tenui caliganti ueſtiet umbra,
 Ad ſignorū obitum uis eſt metuenda Fanoni,

ille

Ille autem Centaurus in alta sede locatus.

✱

Qua sese clarum collucens Scorpius infert,
Haec subter partem praeportans ipse uirilem,

✱

Cedit, equi & partes properat coniungere Chelis.
Hic dextra pergens quadrupes qua uasta tenetur,
Quam nemo certo donauit nomine Graium,
Tendit, & illustrem truculentus cedit ad Aram.

Hic sese inferni de partibus erigit Hydra
Praecipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hoc caput, atque oculos torquens ad terga Nepai,
Conuexoq. sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda.

In medioq. sinu fulgens Cratera relucet:
Extrema nitens plumato corpore Coruus,
Rostro tundit, & hic, Geminis est ille sub ipsis
Ante canem Graio Procyon qui nomine fertur.
Haec sunt, quae uisens nocturno tempore signa,
Legitimo cernes caelum lustrantia cursu.

Nam, quae per bis sex signorum labier orbes
Quinque solent stellae, simili ratione notari
Non possunt: quia, quae faciunt uestigia cursu,
Non eodem semper spatio portata teruntur.

Sic malunt errare uagae per nubila caeli,
Atque suos uario motu metiri orbes.

Haec faciunt magnos longinqui temporis annos,
Cum redeunt ad idem caeli sub tegmine signum.

Quare ego nunc nequeo totos euoluere cursus:
Verum haec, quae semper certo uoluntur in orbe

Fixa, simul magnos similes uertentibus orbes
Quattuor, aeterno lustrantes lumine mundum.

E quibus annorum uolitantia lumina nosces,
Quae densis distincta licebit cernere signis.

Tum multos orbes magno cum lumine latos
Vinctos inter se, & nodis caelestibus aptos,

Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
Nam, si nocturno cognoscens tempore caelum,

Cum neque caligans detergit sidera nubes,
Nec pleno stellas superaret lumine luna,

Vidisti magnum candentem serpere Circum:
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.

Hic non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed spatio multum superest praestare duobus:

Dicitur & late caeli lustrare caernas,
Quorum alter tangens Aquilonis uertitur auras

Ora petens Geminorum, illustratum genu ardens,
In sese retinens Auriga portat utrumque.

Hunc supra, laeua Perseus, humeroq. sinistro,
Tangit, ad Andromedē hic dextra de parte tenetur,

Imponitq. pedes duplices Equus, & simul Ales
Ponit auis caput, & clinato corpore tergum,

Anguitenens humeris connititur, illa recedens
Astrum consequitur deuitans corpore Virgo.

Inde Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens conuertit curriculum Sol

Aestiuus, medio distinguens corpore cursus.
Hic totus medius circo distingitur ipso.

Peccatoribus ualidis, atque alio possidet orbem.

✱

Hunc ostē in partes diuisum noscere circo,
Si potes, inuenies super o conuertier orbe,

Quinque pari spatio partes tres esse relictas,
Tempore nocturno quas uis inferna frequentet.

Alter ab infernis Ausiri conuertitur auis.
Ast alter medium subtersecat hic Capricornum,

Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari,
Caeruleaeq. feram caudam Pistricis, & illum

Fulgantē Leporē, inde pedes Canis, et simul amplam
Argolicam retinet crebro cum lumine Nauem.

Tergaq. Centauri, atque Nepai portat Acumen.
Inde Sagittari defixum possidet arcum.

Hunc a clarifonis auris Aquilonis ad Austrum
Condens postremum tangit rota feruida solis:

Exinde in superas brumali tempore flexu
Se recipit sedes. hinc orbi quinque tributae

Nocturnae partes supra, tres luce dicantur
Haec inter, mediam in partem retinere uidetur

Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis.
In quo autumnali, atque iterum sol lumine uerno

Exaequat spatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries subluet corpore totus,

Atque genu flexo Taurus connititur ingens.
Orion claro contingens pectore fertur,

Hydra tenet flexu Crateram, Coruus adhaeret.

✱

Et paucae Chelis stellae, simul Anguitenentis
Sunt genua, & summi Iouis Ales nuncius inflat.

Propter Equus capite & cernicum lumine tangit,
Hosce aequo spatio deuinctos sustinet axis,

Per medios summo caeli de uertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus,

Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte secatur,

Atque obliquus in bis nitens cum lumine fertur,
Ut nemo, cui sancta manu doctissima Pallas

Sollertem ipsa dedit fabricae rationibus artem,
Tam tornare cate contortos possiet orbes,

Quam sunt in caelo diuino lumine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,

Culmine transuerso retinentes sidera fulta.
Quattuor hi motu cuncti uoluntur eodem,

Sed tantum supra terras, semper tenet ille
Curriculum oblique inflexus.

Quanto est diuisus Cancer spatio a Capricorno,
Ac subter terras spatium par esse necesse est.

Et quantos radios iacimus de lumine nostro,
Quis Lunae conuexum & contingimus orbem,

Sex tantae poterunt sub eum succedere partes
Bina pari spatio caelestia signa tenentes.

Zodiacum hunc Graeci uocitant, nostriq. Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine uero.

Nam gerit hic uolens bis sex ardentia signa.
Aestifer est pandens feruentia sidera Cancer.

Hunc subter fulgens cedit uis torua Leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo.

Exin proiectae claro cum lumine Chelae,
Ipsaq. consequitur lucens uis magna Nepai.

Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Post hunc ore fero Capricornus uadere pergit.

Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin squamiferi serpentes ludere Pisces.

Quis comes est Aries obscuro lumine labens:
Inflexoq. genu proiecto corpore Taurus:

Gg

Et

Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem.
 Haec ol aeterno conuestit lumine lustrans,
 Annua conficiens uertentia tempora cursus.
 Hic quantum terris conuexus pellitur orbis,
 Tantundem patens supra mortalibus exstat.
 Sex omni semper cedunt labentia nocte.
 Tot caelum inssu fugientia signa reuisunt.
 Hoc spatium tranans caecis nox conficit umbris,
 Quod supra terras prima de nocte relictum est.
 Quod si solis aues certos cognoscere cursus,
 Ortis signorum nocturno tempore uises,
 Nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
 Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
 Aut adiment lucem caeca caligine nubes,
 Certas ipse notas caeli de tegmine fumes.
 Ortus, atque obitus omnes cognoscere possit.
 Quae simul existant cernes, quae tempore eodem
 Praecipitent obitum nocturno tempore nosces.
 Iam simul ut supero se toto lumine Cancer
 Extulit, extemplo cedit delapsa Corona.
 Et loca conuisit cauda tenus infera Piscis.
 Dimidiam retinens stellis distincta Corona
 Partē, etiam supera, atque alia de parte repulsa est.
 Quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
 Tractus, sed supero contactus corpore cedit,
 Atque humeros usq. a genibus, Cancrumq. recondit
 Anguitenens ualidis magnum a ceruicibus Anguem.
 Iam uero Arctophylax non aequa parte secatur.
 Nam breuior clara caeli de parte uidetur.
 Amplior infernas depulsus possidet umbras,
 Quattuor hic obiens secum deducere signa
 Signifero solet ex orbi. tum serius ille,
 Cum supera sese satiauit luce, recedit,
 Post mediam labens claro cum corpore noctem.
 Haec obscura tenens conuestit sidera tellus,

At parte ex alia claris cum lucibus errat,
 Orion humeris, & lato pectore fulgens,
 Et dextra retinens non casum luminis enses.
 Sed, cum de terris uis e patefacta Leonis,
 Omnia, quae Cancer praeclearo detulit ortu,
 Cedunt obscurata simul uis maior
 Pellitur, ac flexo confidens corpore Nisus.
 Iam supero ferme depulsus lumine cedit,
 Sed laeuum genu, atque illustrem liquit in altum
 Plantam. tū contra exoritur clarum caput Hydrae,
 Et Lepus, & Procyon, qui sese seruidus inferi
 Ante Canem, inde Canis uestigia prima uidentur.
 Non pauca e caelo depellens signa repente,
 Exoritur candens illustria lumina Virgo,
 Cedit clara Fides Cyllenia: mergitur unda
 Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta:
 Atque auis ad summam caudam, primasq. recedit
 Pennas, & magnus pariter delabitur Annis.
 Hic Equus a capite, & longa ceruice latefcit.
 Longius exoritur iam claro corpore serpens,
 Cratera q. tenus lucet mortalibus Hydra.
 Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
 Et post ipse trahit claro cum lumine puppim.
 Insequitur labens per caeli numina Nautis,
 Haec medium ostendit radiato stipite malum.
 Et iam iam toto processit corpore uirgo.

At, cum procedunt obscuro corpore Chelae,
 Existit pariter larga cum luce Bootes.
 Cuius in aduerso est Arcturus corpore fixus,
 Totaq. iam supra fulgens prolabitur Argo,
 Hydraque, quod late caelo dispersa tenetur,
 Nondum tota latet, non caudam contigit umbra,
 Iam dextrum genu, & decoratam lumine suram
 Erigit ille uagans uulgato nomine Nisus,
 Quem nocte extinctum, atque exortum uidimus una
 Per saepe, ut paruū tranans geminauerit orbem.
 Hic genu, & suram cum Chelis erigit alte:
 Ipse autem praiceps obscura nocte tenetur,
 Dum Nepa, & Arcitenens inuisant lumina caeli.

Nam secum medium pandet Nepa, tollere uero
 In caelum totum exoriens conabitur arcum.
 His tribus elatus cum signis corpore toto
 Lucet, at exoritur media de parte Corona.
 Cauda q. Centauri extremo candore refulget.
 Hic se iam totum caecus Equus abdit in umbras,
 Quem rutila fulgens pluma praeteruolat Ales.
 Occidit Andromedae clarum caput, & fera Pistris
 Labitur horribiles epulas funesta requirens.
 Hanc contra, Cepheus non cessat tendere palmas,
 Ille usque ad spinam mergens se caerulea condit:
 At Cepheus caput, atq. humeros, palma sq. reclinat.
 Cum uero uis est uehemens exorta Nepai,
 Late fusa uolat: per terras fama uagatur,
 Ut quondam Orion manibus uiolasse Dianam
 Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
 Quos tenet, Aegaeo defixa in gurgite
 Brachia quae uiridi conuestit tegmine uitis.
 Ille feras uacors amenti corde necabat,
 Oenopionis auens epulas cenare nitentes.
 At uero pedibus subito percussa Dianae
 Insula discessit, disiectaq. saxa reuellens
 Perculit, & caecis lustrauit luce lacunas.
 E quibus ingenti existit cum corpore, prae se
 Scorpis infestus praeporans flebile acumen.
 Hic ualido cupide uenantem percudit ictu,
 Mortiferum in uenas figens per uulnera uirus:
 Ille graui moriens constrauit corpore terram.
 Quare, cum magnis sese Nepa lucibus effert,
 Orion fugiens commendat corpora terris.
 Tum uero fugit Andromeda, & Neptunia Pistris
 Tota latet. cedit conuerso corpore Cepheus,
 Extremas medio contingens corpore terras.
 Hic caput, & superas potis est demergere partes,
 Infera lumborum numquam conuestiet umbra:
 Nam retinet Arctoi lustrantes lumine suras.
 Labitur illa simul gnata lacrymosa requirens
 Cassiopea, neque ex caelo depulsa, decore
 Fertur: nam uerso contingens uertice primum
 Terras post humeros euerja saepe refertur.
 Hanc illi tribuunt poenam Nereides almae,
 Cum quibus, ut peribent, ausa est cōtendere forma.
 Haec obit inclinata, at pars exorta Coronae est
 Altera. cum caudaq. omnis iam panditur Hydra.
 At caput, & totum sese centaurus opacis
 Eripit e tenebris, linguens uestigia parua.
 Ipse feram dextra retinet, prolabitur inde

Anguitenens

Anguitenēs capite, et manibus profert simul Anguis
Iam caput, & summum flexo de corpore lumen.

Hic ille exoritur conuerso corpore Nifus,
Aluum, crura, humeros, simul et praecordia lustrās:
Et dextra radios laeto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens superas conuifere lucēs
Influit, & mergit Nisi caput. & simul effert
Sese clara Fides, & promit corpore Cepheus.
Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obijt Lepus abditus umbra.

Inferiora cadunt Aurigae.

Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam, instantēq. Capram paruos simul Haedos.
Et magnam antiquo depellit nomine Nauem,
Crus, dextrumq. pedem linquens obit infera Perseus
In laea, tum cedens a pu ppi linquitur Argo.

Obruatur Procyon, emergunt Alites una.
Et uolucris terris exsiliit clara Sagitta.

AVIE. * perq. notum rutila cum numinis Hydra
Delphinum paruas promit Capricornus in auras.
Et matutino consurgit Aquarius orbe.

Os Equus, atque pedes nouus exserit. ecce cadentis
Parte poli trahit occiduum nox atra sub aequor
Centaurum cauda, sed non caput, aut humerorum.
Vasta simul rec ipit, persistit pectore celso.
Cornipedis species, & caelum uertice fulcit.
Ora dehinc Serpens & prima uolumina tantum
Conditur, ingentis late tamen agmina caudae
Pone trahit, subit ista solum, subit aequora rursum,
Integer Oceani cum se Centaurus in undas
Iecerit, atque nono uibravit sidere Piscem:
His summa caeli surgentibus, ille per Austrum
Piscis item plantam quam pulcher Aquarius urget
Redditur. haud toto tamen hic se corpore promit,
Sed manet alterius uenientis tempora signi.

* sic brachia mactae

Andromedae, sic crura dehinc, humeriq. nitentes
Paullatim recano redeunt maris aurea caelo
Postquam adolent Pisces, incendia denique Pisces
Cum rutilant mūdo, dextram haec attollet in ulnam
Laenaq. Virginei rursum se corporis edunt.
Phryx postquam pecoris proruperit ortus,
Australem hic Aries Aram procul admouet undis,
Gurgitis occidui qua lux redit, excitat idem
Persea proceri sustollere uerticis astra,
Et claros fulgere humeros. at cetera nondum
Sunt exempta solo, quin totum hoc inuida ueri
Natura ambigua rerum ratione reliquit,
Extimus an reliquos Aries produceret artus
Perseos, an Tauro freta pelleret a surgente.
Hoc una caelum subit integer. haud
Viscera nascentis noua Tauri deserit astra.
Quippe huius flammis Aurigae sidus inhaeret,
Nec tamen hunc totum sustollit Taurus in aethram.
Aurigam salis euoluunt fluctibus amnem
Surgentes Gemini, Taurum Capra, plantaq. laena
Atque Haedi exsuperat, cū primum rursum ab undis
Cetosa in superum referuntur uiscera caelum.

Eminus ingentem condit pars prima Booten.
Quattuor hic etenim signis surgentibus altum
Vix penetrat pelagus. neq. summa totus ab aethra
Labitur Arcturus, manus olli quippe sinistra
Iuge, manet, celsisq. * subducitur Ursis.

At, cum iam pedibus repetit fluxus Ophiuchus
Vt genua Oceanus uasto procul aequore condat,
Signum erit Eoa Geminos procedere parte,
Nec lateri Distrix cuiquam uicina uidetur:
Sed, cum tota super sustollitur, expuit atram
Iam pelagus speciē, nec adhuc tamen extima sorbēt:
Quin nec nascentis suspectat nauita ponto
Agmina prima Padi caelo tum feruere aperto,
Vicinasq. faces rutili manet Orionis.

Curricula ut sollers uero mox indice discat
Certa tepebrarum, possitq. fideliter astro
Explorare notos, & tuto carbasa ponto:

* monet alta Iuppiter aethra
Singula nos. facilis ueram dedit arbiter artem.
Nonne uides, primum cum Phoebe in cornua surgit
Tenuia, & angusto lumen iacit ore per aethram
Decedente die, pronosq. ab tramite Solis,
Promat ut ingressi sollers tibi tempora mensis?

* sunt tales quattuor ortus
Marcantis Lunae, quales sub mense renato
Quattuor exsurgunt languentis luminis umbrae,
Atque bis oëtonas includunt ordine lucēs.

At decedentis postrema crepuscula noctis,
Bis sex signa tibi quae uersat signifer orbis
Monstrabunt. * nam Phoebus singula mutat
Semper & alterno succedit omnia lapsu

* uel cum deuenus in undas
Labitur, & rebus formam absumpsere tenebrae
Vel matutino redit in cunabula *
Cum pelago, & rebus suffudit luce colores.

Sic diuersa diem comitantur sidera semper.
Sed prim * exordia sumpsit ab anno,
Torreret rutilo cum Phoebus sidere Cancrum,
Cingula cum ueberet pelagus procul Orionis,
Et cum caeruleo flagraret Sirius astro.

Hoc ut fontem, unde & duxit tempora Lunae
Nauita quo longum facili rate curreret aequor,
Et quo ruris amans telluri sacra parenti
Crederet, ingentiq. petat indagine semper,

Seu qui uela salo, seu qui dat semina terrae,
Haec mora discendi breuis, huc labor, et breue tēpus
Poscitur, innumeros habet autem industria fructus.
Vtilitas te certa manet, praenoscere motus
Si liber acrios, & temp. statibus ipsis

Edere principium. te primum sponde procellis
Arcebis rapidis, te rursum principe fluctus
Vitabunt alij, si certis singula signis
Tempora discernas.

Saepe etenim quamquam tranquillae noctis amictu
Mitia portenti requiescunt terga profundi,
Doctus securam subducit ab aequore classem
Nauita, & aethra retinet statione phaselam,
Cum matutinae praesensit signa procellae.

Namque alias caelo tum tertia lumina Phoebus
Exserit.

Crebro quinta dehinc lux commouet amphitritem.
Saepe inopina mali clades ruit. omnia certis

Indicijs tibi Luna dabit, seu lucis utrimque
 Caesa facem, seu cum teretem concrevit in orbem.
 Sol quoque uenturas aperit tibi saepe procellas
 Sidera producens, & cum sidera condit,
 Nec minus ex alijs aderit cognoscere motus
 Aequoris, & magnos caeli callere tumultus.
 Cynthia cum primum caelo noua cornua promit,
 Cautus utrimque deam circumspice. nāque reuersae
 Nequaquam semper similis lux imbuit ortum.
 Sed species diuersa trahit, uarioq. notatur
 Formarum primi cum surgit luminis igne.
 Tertia cum rutilat, tum maior sideris aethram
 Scandit, & aereas quarta face luminat oras:
 Ingredientis erit plene tibi nuncia mensis:
 Aetec castigato si tertia fulserit ortu
 Pura, sic ut foedis ab syrribus abfore dicat,
 VIR. Clara serena diu.
 I. Geor. At, si uirginum suffuderit ore ruborem,
 Ventus erit. uento semper rubet aurea Phoebus.
 AVIE. Luminis ista debinc si crassior, atque retusis
 Cornibus ingreditur, si quarti sideris ortum
 Percorso, ut tenuem protendat corporis umbram,
 Imbribus aut Zephyris hebetabitur: arguet ultro
 Flabra Noti, aut pluuias
 Tertia si rursus protollat Cynthia currus,
 Sic subiecta faces, & acumina lenta coruscans,
 Vt nec curua quasi declinet cornua, nec se
 Fusa supinato diducat lumen in auras:
 Occiduo Zephyrum praedicet surgere mundo,
 Aut Libyae de parte Notum. sin quattuor autem
 Cynthia curriculis caelum subit, atque coruscis
 Cornibus immodice praestantibus usserit ignes:
 Vix prolixa salum ciet ocuis omnia Cauri.
 Istius in Boream quod se sustollit acumen,
 Sic curuum specie uelut armat: affore caelo
 Saeva procellosi praedicet flabra Aquilonis
 Inferiore plaga, si Lunam tertius ortus
 Proferat, atque Deae conuoluat circulus oras
 Suffusus rutilo: mox tempestate sonora
 Spumosum late pelagus canescere cernes,
 Maior & hac rauci uersabit gurgitis undas.
 Ipsa quoque immodice si uultum Luna rubescat,
 Contemplator item seu plenum luminis orbem
 Cynthia distendit, seu cum tertius ambitus olli
 Caeditur, & mediae uelut indiga lucis utrimque
 Sustinet obductae sibimet dispendia formae,
 Cornua prima replens, & cornua fessa debiscens.
 Induit & qualem procedens ore colorem,
 Hinc perpende oculis, ipso monitore dierum
 Signa tene, ac totum discerne in tempora mensum.
 Non unum deprehensa diem tibi signa loquuntur,
 Nec uulgo in cunctis adsunt praecepta diebus,
 Sed quae signa nouo dederit mox tertia in ortu
 Quarta ue, sustollit medios dum Cynthia uultus
 Durabunt caelo medio quae edixerit ore.
 Ille alias trino conuoluit tramite Lunam,
 Et gemino plerumque meat Sol, & unicus idem.
 Cingere si simplex circumuersabitur orbem
 Signa procellarum certissima, signa sereni
 Praeferet: abruptos subito praenunciat Euros
 Marcescens tenui sensim caligine, & aethra
 Digestus patula, docet undis adfore pacem.

Si duo se Lunae, circumfudere repente,
 Maxima uis pontum, uis uertet maxima terras.
 Maioresq. debinc agitantur stagna procellae,
 Si trinus rutilum constrinxerit ambitus orbem.
 Et magis immodica formidine saeuient Ausier
 Zonarum, taeter fuerit si tractus in aethra.
 Denique disrumpant si sese cingula Lunae,
 Vltima tempestas ruet imi gurgitis aestum.
 Sol quoque & exoriens, & cum se condit in undas, VIR.
 Signa dabit. Solem certissima signa sequentur, I. Geor.
 Et quae mane refert, & quae surgentibus astris.

Non hic cum primo seducet gurgite uultum AVIE
 Ceu picturato diuersos ore colores
 Proferet. haud etenim tali tibi sole reuecto
 Mita iam caeli fas expectare serena.
 Et si tranquillo conuexa cucurrerit austro,
 Indideritq. facem ponto deus integer, atra
 Nube carens, purusq. coma, & spendidus orbe
 Conuenit Eoae facem praesumere lucis.
 Sed non ora cauo similis, medioq. recedens
 Orbe, quasi uel si radios dicingitur ultro
 Figat, ad Australem porrecto sidere partem,
 Aut Borea rigidi iauletur luminis igne:
 Et uento, & pluuijs reparata in luce carebit.
 Denique per flammam procul, atque incendia sollers
 Ipsa die cedunt blandi si lumina Solis,
 Tende oculos, certa hoc ducentur signa sinistro.
 Et ne sanguineus late rubor imbuat ora,
 Qualia protractu uaga nubila saepe rubescunt.
 Aut ne labenti piceus color abdat amictu
 Lampada, quaere diu si taetro crassior orbe est,
 Uesceat pluuijs tellus.
 Vis simul amborum si uultum Solis oberret
 Cuncta Noti quatent, imbres procul arua rigabunt,
 Ecce alas primo nascentis Solis in ortu,
 Vel cum praecipites pelago deus inserit ignes,
 Si coeunt radij.
 Omnibus his signis in terram defluit imber.
 Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese VIR.
 Diuersi rumpent radij: I. Geor.
 * nimbis ingentibus arua maeubunt.
 At matutini si Phoebum in litoris *
 Maiorem solito produxerit, atque per aethram
 Marcenti similis defluerit extrimus orbis,
 Alta debinc scandens minuat iubar igniferum Sol:
 Pura serena aderunt.
 * hic quoque magnis
 Cum madafacta die sub tempestatibus horret,
 Pallidus ora cadens, promittet pura serena.
 Quin nascente die uenturos conuenit imbres
 Noscere, cum proni procul ad confinia caeli
 De * piceo spectans nubila tractu:
 Et cum declinant radij, sed partem in utramque
 Lucis in occasu, nox ut serat algida rores,
 Imber erit. puras si Phoebus condit habenas,
 Et Calpetano tranquillum gurgite lumen
 Tingat, at in lapsu nubes ignita sequatur:
 * numquam te crassina fallat VIR.
 Hora, nec insidijs noctis capiere serena. I. Geor.
 * sed cum radijs marcentibus arbor AVIE
 Languet, uel tenui tenduntur acumine frustra
 Phoebus

Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti
Inter se folijs strepitant. iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulcesq. renifere nidos.

AVIE. * tunc pennis corpora plaudunt,
Tunc & Strymonias circumuolare repente
Suspiciens, & per aperta ubi mitior annus
Sponte procellosum disiecerit aera caeli.

VIRG. * tum stellis acies obtusa uidetur.

AAIE. Nubila nec crassos circumduxere meatus
Ut inbar occulerent, flagrantibus obuia flammis,
Nec caligo inibet rutilantis lampados ignis,
Orbe nec expleto sacra sidera luna recondit.
Sed iam sponte sua stellarum lumina marcent,
Conuenit hibernae praenoscere dura procellae
Nubila.

Gramina si carpit semesa petatius anser,
Si nocturna tibi cornix canit: Hesperus aethra
Cum redit, innumero si cantu craculus instat,
Si matutino fringuilla resultat ab ore,
Si fugiunt uolueres raptim freta turbida Nerei,
Orchilos infestus si floricomis hymenaeis

Ima petit terrae, si denique paruus Eritheus,
VIRG. * & e passu descendens agmine magno,
Coruorum increpuit densis exercitus alis.

AVIE. Cecropias si passus Apis uicinus ab ipsa.
Castra inibet, florumq. simul libamina maestae
Proxima decerpunt. si Treiciae per aperta
Sponte Grues trepidant, nec sese audacius aethrae
Committunt,

* si soluit aranea caeses.
Tenuia si toto uebit Auster licia caelo,
Mox tempestates, & nubila caetra cientur.
Quid maiora canam * ? cinis ipse repente
Cum coit, albenti nix terras uestit amictu,
Nix operit terras, rutilis ubi lumina pruinis
Summa rubent, erantq. breui caligine crassa,
Interius nebulae, & densa iam fomes in igni
Marcescit, penitus pluuios mox arguet austos.

Induit immodicis cum semet floribus ilex.
Et cum flore nouo, cum brachia glande grauantur
Vuentis caeli sibi nutrimenta latenter
Sponte operata docet.

CIC. Iam uero semper uiridis, semperq. granata
Lentiscus, triplici solita grandescere fetu
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

AVIE. Ter prorumpentis Scyllae teres erigitur flos,
Sulcandiq. solum ter monstrat tempus adesse,

Sic & crabronum rauca agmina si uolitare
Fine sub Autumni conspexeris aethere longo:
Iam uespertinos primos cum commouet ortus
Vergilias, pelago dices instare procellas:
Siqu. sues lentae, si lanae sedula nutrix,
Si Capra dumosis errans in saltibus ultro
In Venerem pergat.
Et tempestates, & nubila protinus atra
Adfore praecipites.

* quin & gaudebit arator,

Quiq. solum iusti uersabit mensibus anni
Plebe gruuum prima: gaudebit tardus arator
Agmine pigrarum, si quadam lege deorum.

His comes est imber: si denique terram
Lanigeras fodiant, caput aut tendatur in Arcton,
Cum madidus per marmora turbida condit
Pleiadas occasus, cum brumae in frigora cedit
Frugifer autumnus, ruet aethra concitus imber.
At, si perruptis terrarum dorso lacunis
Infodiant pecudes:
Suspecti tibi sine imbres. namque urget ab alto
VIRG. Arboribusq. satiq. Notus pecoriq. sinister.
AVIE. Nix herbas laedet teneras, nix uret aristas.

At, si contigerit plures ardere cometas,
Inualidas segetes torrebis sicciior aer.

Contemplator item si longo plurima ponto
Agmina festinant uolucrum, solidamq. frequentes
Succedunt terram: sterilis desaeuiet aestus,
At sitient agri.

Sed si * producant agmina ab undis
Nec trepido passim uersent conuexa uolatu,
Laetitia est duris pastoribus, adfore parcos
Praesumunt imbres. Sic in contraria semper
Vota homines agimur, nostriq. cupidine fructus
Pascimus alterius dispendia, denique & ipsa
Sollers natura, & rerum genitalibus ordo.
Certa suis studijs affixit signa futuri.

Namque & ouis cupido si gramina tondeat ore
Insaturata cibi decerpens latius agros,
Pastor indicium pluuiialis frigoris edet.
Et si persultans aries lascinius herbas
Appetit, aut sese sustollant saltibus haedi:
Vel si iuge gregi cupiant haerere, nec usquam
Matribus abscedant, & si sine fine, modoq.
Pabula delibent, cum tutas uespera dire
Compellat caulas: monstrabunt adfore nimbos.

Bubus arator item trahit atro signa procellae.
Lambere si lingua prima hos uestigia forte
Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum

Vel si prolixis auras mugitibus implent
Pascua linquentes uix uespere.

* dat capra moti
Rursum signa poli, cum spinis ilicis atrae
Multa inhiat. docet haec eadem sus horrida coeno
Gurgitis illuue si saepius inuoluatur.
Martius ipse lupus uillarum proxima oberans
Affectansq. locos hominum, lectumq. laremq.
Sponte petens, crasso consurgere nubila caelo
Praemonet.

* id parui cum stridunt denique Mures
Cum gestire solo, cum ludere forte uidentur
Portendunt, tibimet canis in praesentia ultro
Tellurem fodiens. tamen haec tamen omnia rerum
Adfore, uel primo nimbis mox Sole docebunt:
Vel cum curriculis lux ibit coepta secundis,
Tertius

Tertius aut uerso cum uenerit ortus olympo.

*

*Non spernenda tibi sint ulla, sed memor uni
Adde aliud semper, si tertia denique signa
Proueniat, firmo uenturum pectore fare,
Et transactorum sollers componere mensum
Signa laborabis, si sic fluxere reperta,
Nequaquam trepidare pudor persuadeat ullos
Astrorum lapsus, astrorum protinus ortus.*

*Discute, si casus similis, & stella per aethram
Prodidit exacti iam summa crepuscula mensis,
Et surgentis iter primordia conscius artis
Fare sacrae mensum confinia summa duorum
Caeca latent lucis haec semper semet in octo
Inscia lunaris tendunt facis. Ipse fideli
Perquires studio, & si quid tibi forte repertum
Pluribus indicijs, sollers fulcire memento.*

F I N I S.

IN
Q. CICERONIS
DE PETITIONE
CONSULATUS
AD M. TVLLIUM FRATREM
LIBRUM
VALERII PALERMI, VERONENSIS
COMMENTARIUS



I O . B A P T I S T A E

F O S C A R E N O

I A C O B I . F O S C A R E N I . E Q V I T I S

E T . D . M A R C I . P R O C V R A T O R I S . F .

V A L E R I V S . P A L E R M V S

S . P . D .



INSTITVERAM olim, ex quotidianis scholae observationibus, commentarium quendam conscribere, in Q. Ciceronis de petitione consulatus libellum. De eoq. eram cum Aldo Manuccio, quocum mihi uetus intercedit necessitudo, collocutus; cum ille, qui tanta cum laude semper litterarum studiosis fauit, quanta cum omnium admiratione litterarum studia coluit, auctor mihi fuit, ut hunc ipsum iam inchoatum absoluerem, absolutum expolirem, atque ederem. Ego igitur, etsi aliud ab initio cogitaram, doctissimi hominis, mihiq. amicissimi auctoritate permotus, & supremam manum operi addendam, & animum etiam ad editionem applicandum, si cui forte ea res usui futura esset, censui. In ea autem cogitatione, cum illud insuper (ut fit) coepissem deliberare, cui nam potissimum laborem hunc meum, qualiscumque esset, dedicarem; cui & res ipsa per se, & magis etiam, ut a me missa, conuenire uideretur; sic demum statui: nulli hominum generi, hoc de petitione commentariolum, nostro tempore accommodatius esse posse, quam Venetis. Neque omnibus tamen aequae, sed nobiles tantum, & reip. administrationem capescentibus. Apud quos, cum Romanae libertatis, dignitatisq. imago cernitur non obscura, tum honores ipsi, ratioq. eorum obtinendorum, non adeo est antiquae dissimilis. Nam, uere ut loquamur, ubi tales, tamq. praeclari magistratus urbani, seu prouinciales, iustis comitijs mandantur, quos operae pretium sit eo studio petere, ac labore, quo petendos docet hic libellus, praeterquam Venetijs: Vbi

Hh 2 tantum